

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul., Belg. disputaciones)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7



DISPUTATIO XIII.
 DE IUSTIFICATIONE, CONTRA DECRETA SE-
 XTÆ Sessiois Tridentinæ,

Complectens Cap. 6.

- I. De vero statu controversiæ de justificatione.
- II. De vocabulo justificationis.
- III. Quibus reb. scriptura adimat justificationem.
- IV. Quod nova obedientia non iustificet hominem.
- V. CHRISTI & Pauli doctrina de justificatione.
- VI. De vocabulis gratiæ & gratis.

Sub presidio

SALOMONIS GESNERI
 S. THEOLOGIÆ D. ET PROFESSO-
 ris publici in Academia Wittebergensi in priva-
 to disputationum Theologicarum col-
 legio proposita ab

ANTHONIO AIBEN REERS-
hemio orientali Frisio.

Ad diem 19. Iunii Anno CHRISTI 1602.

Ambrosius de Iacob & Vit. Beat. c. 6.

Non gloriabor quia iustus sum, sed quia redem-
 ptus: gloriabor non quia vacuus sum peccatis, sed
 quia mihi remissa sunt peccata.

VVITTEBERGAR

Typis VVolfgangi Meisneri.



NOBILITATE GENE-
RIS VIRTVTVMQVE INCLY-
TO DN. MAURITIO RIPPERDA CAPL-
taneo in Farmsum Dam Dhornum
& Pethkum

NEC NON AMPLISSIMO VIRO
Dn. HAIONI RIKENNA Reipub.
Nordanae civi primario.

E T

REVERENDIS DOCTISSIMIS
QUE VIRIS DN. AIBONI INEN, PAREN-
ti suo charismo, DN. IOHANNI REDDERO. DN DA-
VIDI FABRICIO Pastoribus Frisiacarum Eccle-
siarum orthodoxis Dominis ac patro-
nis suis.

Debita observantia, honoris ac amoris ergo

Dicat & offert

Respondens.



CAPVT PRIMVM, DE VERO STATV CONTRO- versæ.

T H E S I S I.



*E classico justificationis nostræ articulo cōtra
Babylonicæ meretricis Βδελύματα, quibus
fædè multis retrò sæculis conspurcatus est,
annuente Deo acturi, opera pretium erit hoc
capite in apricum ponere, quid illos inter &
nos controvertatur.*

I I.

*In tanta enim luce conductitij regni pontificij patroni hoc
agunt unicum, ut statum controversiæ involvant; adulteri-
num supponant.*

I I I.

*Hinc veteratorie nostris ecclesiis certamen de bonis operib.
moverunt, quasi illa doceant credentes tantum habere pecca-
torū remissionem, non verò etiam renovari per Spiritum San-
ctū. Item Christum nobis meruisse reconciliationem non etiam
renovationē, quasi ita hanc excludant, ut nec adsit, nec sequa-
tur in renatis, quæ omnia nostris per calumniam affricare sa-
tagunt.*

I V.

*Docemus enim & urgemus homines non renatos externe
disciplina coërcendos esse, & in renatis sequi debere novam o-
bedientiam, contra Simonis Magi, Basilidis, Aëtij & Euno-
mij, ac Gnosticorum verè diabolicas opiniones.*

V.

*Remotis hoc pacto κ. Βδύλοις, questionibus, quibus odiose
nostram sententiam præggravant, κενόμενον est: An satis-*

A 2

satisfactio



factio & meritum Christi: An verò inchoata nova obedientia in nobis, & reliquæ virtutes, sint id, propter quod Deus hominem peccatorem in gratiam recipit.

CAP. II. DE VOCABVLO justificationis.

I.

Quandoquidem v. Pontificij verbum Iustificare continent, propriè talem motum seu mutationem ab injustitia ad justitiam significare, sicut quando in physicis motib. una qualitas expellitur & alia introducitur, utile erit hujus vocabuli usum in vulgaribus linguis ostendere.

II.

In Græca igitur communi lingua δικάω simpliciter est verbum forense & duo significat, 1. Iustum censere aliquid aut pronunciare: ita Plutar: in Agesil. Agesilaus denunciato bello coegit omnes stare illis, δὲ δὲ πρὸς ἡμᾶς ἐδικάωσεν. Deindè significat etiam κόλασιν supplicio afficere: Sic Cic. in Verrinis ponit verbum ἐδικάωσεν & explicat supplicio affecti sunt. 2. Ebrai verbo פָּרַח (Tertia enim conjugatio in hoc articulo adhibetur. Esa. 53. v. 11.) planè ita utimur, ut idem sit, à reatu scelerum, de quibus sumus accusati, liberum pronunciare, 2. Reg. 15. v. 4. Psal. 51. v. 3. Esai. 43. v. 9.

III.

Comprobat illam interpretationem antithesis verbi iustificare & damnare, Prov. 17. ver. 15. Deut. 25. ver. 1. 3. R. g. 8. v. 32. Rom. 8. v. 33.

IV.

Hæc tam sunt manifesta, ut ipse Andradius, & post hunc omnes Jesuisti solidi nihil afferre contra potuerint.

Sed

V.

Sed ut maximè sint, qua Pontificiorum significationem alibi stabiliant, certè ex iis locis ubi de hominis justificatione coram Deo agitur, eadem haud perindè elicietur.

VI.

Hinc Apostoli, ut ne Ebraismus exoticis linguis minus familiaris doctrinam turbaret, aliis subinàe & clarioribus verbis, illud expresserunt. Rom. 4. v. 7. per imputare justitiam sine operibus & per vocabulum *וְיָצַד* & ibidem ex Psal. 32. *אִנּוּן כִּסּוּי עוֹן & לְאִתְּשׁוּב עוֹן* Rom. 5. per reconciliari, &c.

VII.

Patrum autem consensu, quemadmodum nec stat, nec cadet vera explicatio; Sic non magnoperè laboramus, si quandoque latina compositionis analogiam cum verbis calefacere, sanctificare &c. sequuntur: à qua tamen non rarò evidentia Pauline disputationis convicti discedunt.

VIII.

Sufficiat hoc loco Augustini illud contra Julian. l. 2. ex Ambrosio: Is justificatur à peccato, cui per Baptismum peccata remittuntur omnia: Et Hilarij. Movet scribas ab homine remissum peccatum, quod lex laxare non poterat, fides enim sola justificat. Hilar. in c. 9. Matth.

IX.

Hac sana & plana vocabuli justificationis utilissima est & necessaria in ecclesia Dei. Tum quia inde cognoscitur, quomodo gravis actio coram judicio Dei sit hominum justificatio: Tum quia serio compellit nos ad meritum Filij, & quando a deo nihil in nobis herere intelligimus, quod ire Dei justissima in tentationibus & agone mortis opponere possimus.

CAP. III. QVIB REB. SCRIP

ptura adimat justificationem.

A 3

Posita



I.

Posita hac & stabilita vera & genuina significatione verbi justificare, remotis pontificiorum corruptelis, patecet et ota justificationis doctrina: si eam posthabitis turbidis Philosophorum lacunis ex solis divinis oraculis Evangelij petere & dijudicare concedatur.

II.

In his v. cum pro conditione alia atq; alia operantium, duplicia opera describantur, quorum alia sint non renatorum, alia renatorum, utrisq; tamen justificatio disertis verbis adimitur.

III.

Quantum igitur τὸν σέξασιν τὸν πρὸς ἑμὲ nondum renatis attinet, & φὸδ' οὐ ἀρετῆς, singula rejicit D. Paulus in suis ad Romanos & Galatas Epistolis.

IV.

I. enim Secluduntur Ethnicorum culius Dei verbo contrarij & cæco humane rationis iudicio instituti: qui non tantum non gratam Deo personam faciunt; Sed ad iram etiam provocant, Rom. 1. v. 25. & abominatio sunt coram ipso, Deut. 2.

V.

Deinde externa illa rationis gentiliū juxta legem Naturæ disciplina. Fit enim sine fide & sine spiritu s. estq; imperfecta, mutila & manca, atq; adeo ipsi legi Naturæ in cordibus eorum inscripta non raro contraria.

VI.

Præterea electiis operibus qualicunq; intentione sine verbo & mandato Dei susceptis frustra Deo servitur, Mat. 15. v. 9. Esai. 1, v. 12,

VII.

Quarto & ultimo excluditur etiam accuratissima obedientia juxta legem scriptam præstita, à non renatis, Matth. 5. v. 20. Non enim lex vitam promittit sub conditione qualiscunq;



eunꝝ obedientia, sed perfecta & integra, unde in uno delin-
quentem reum facit omnium Iacob. 2.

V I I I.

Quamvis autem de his singulis inter nos & Tridentinos
Areopagitas nihil controversatur, tamen eò directa sunt, ut
ex speciali illa enumeratione pateat nihil in nobis esse, propter
quod ad vitam eternam acceptamur, ut omne punctum justi-
ficationis nostrae in solidum soli Christo Mediatori per fidem
apprehenso cedat.

CAP. IV. QVOD NOVA OBEDI-

entia seu bona renatorum opera non justi-
ficent.

I.

Haecenus non renatorum opera exclusimus: Hoc capite
cominus cum pontificis congressuri de ipsis renatorum operibꝝ
agemus.

II.

Illae enim ita volunt esse necessariae, ut simul sint pars
aliqua sive substantialis, sive integralis, constituens iustitiam
coram Deo ad vitam aeternam.

III.

Quia igitur in hoc controversia cardo versatur, videbi-
mus quomodo scriptura opera renatorum à justificationis ne-
gatio excludat, non quidem ut non sequantur illam, sed ne sint
causa vel pars ejusdem.

IV.

Sic autem Paulus Rom. 3. v. 20. concludimus ergo homi-
nem justificari fide absque operibus.

V.

Voi, ne quisquam de legibus ceremonialibus cavillari
possit, apostolici contextus evidentia facit.

Agit



VI.

Agit enim de lege quæ peccatorum coarguit omnes homines, & quidem eorum, quæ non in ceremoniales, sed morales impingunt. ex quâ etiam agnitio specialis peccati concupiscentiæ oritur.

VII.

Neque v. sufficientissimum mediatoris $\lambda\upsilon\tau\omicron\sigma\omicron\upsilon$ sordidas operum lacinias stola justitiæ coram Deo adsui patitur, cum unius obedientia omnibus numeris & modis absolutissima justæ constituamur Rom. 5.

VIII.

Quibus suffragantur exempla sanctorum, ac præcipuè Abrahami: Hunc enim quamlibet insignem virtutibus Ebr. 11. renatum, & in medio quasi bonarum actionum curriculo constitutum nihilominus Fide justificatum Moses Gen. 15. ait, & Paulus Rom. 3. attestatur.

IX.

Sic David Dei servus & vir secundum voluntatem eius Act. 13. v. 22. non vult juxta inherentis novitatis justitiæ judicari. Ps. 143. v. 2.

X.

Et Paulus à justificatione suâ excludit, non tantum opera in Pharisaismo facta: Sed & verbo præsentis $\nu\gamma\delta\mu\alpha$ utitur, ut ostendat, quod operibus etiam post renovatione factis non tribuat justificationem coram Deo, unde 1. Cor. 4. ait nihil quidem mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum.

XI.

Adhæc Galatis conversis, post discessum hac opinione fascinatis, quasi ceremoniarum Mosaicarum observatio, cum ea quæ fidei justitiæ est, sit conjungenda, scribit Apostolus progrediendo à parte ad totam legem, Evacuati estis à Christo & gratia excidistis qui in lege justificamini.

Quod

Quod igitur de omnibus legis operibus dicitur, id ipsum de gratiâ infusâ gratum faciente, seu de charitate etiam dictum est. De qua August. scribit, eam in nemine homine in hac vita esse plenissimam, augeri enim semper posse. Ideoq; illud quod minus, quam debebat ex vitio esse, ex quo vitio non sit justus in terra, qui faciat bonum & non peccet, ex quo vitio non justificetur in conspectu Dei omnis vivens, &c.

Ep. 19. ad
Ieronym.

CAP. V. DOCTRINAM CHRIS-
ti & Pauli de justificatione
continens.

I.

Planè ita ἡμῶν καὶ σκουβάλοις operum remotis, qua Romanis ἀλάστοις, in justificationis negotium invexerunt, paucis ex scripturâ sententiam affirmativam adseremus.

II.

Hic v. CHRISTVS Ioh. 3. ver. 15. disertis verbis salutem nostram adscribit sibi, hoc est merito, seu obedientia sua, quâ rectè audacter & securè divino tribunalis nos sistere queamus, Ioh. 5.

III.

Omni enim gloriâ destitutus, veniens in mundum, sufficientem justitiam attulit, placando iram patris, faciendo pro nobis, quæ lex requirit, & sustinendo ea, quæ nos meriti eramus, Rom. 13. Gal. 3. v. 13. c. 4. v. 4.

IV.

Hanc justitiam Pater donat erudentibus Rom. 8. ver. 32. isq; imputat. Rom. 4.

V.

Non parum autem illustrat doctrinam de justificatione

verbum

Verbum relatiuum, ἡμῶν λογίζομαι imputare, cuius fundamen-
tum nonnunquam in illis inhaeret, quibus fit imputatio, 2. Sam.
19. v. 19. Psal. 106. 31. & alibi: Nonnunquam in volunta-
te & iudicio imputantis, Gen. 31. v. 15. Ps. 144. v. 3. Num.
18. v. 27. & alibi.

VI.

Posteriore significatione semper Ap. Paulus in iustifica-
tionis articulo utitur, ita etiam ut expresse distinguendo prio-
rem removeat, Rom. 4. v. 4. & 5.

VII.

Vnde illud conficitur in credentibus non esse fundamen-
tum, cuius ratione & respectu iustitia ad beatitudinem impu-
tetur, ne in Abrahamo quidem Rom. 4. Imò contrarium po-
tius fundamentum reperiri, si Deus in iudicium vellet intra-
re, quod tegendum est, peccatum sc.

VIII.

Est igitur imputatio relatio mentis & voluntatis divinae,
qua ex gratuita misericordia propter Christum credentibus
peccata non imputat, sed imputat illis iustitiam Christi, ut fir-
ma sit promissio, Rom. 4. v. 16.

CAP. VI. DE VOCABVLIS Gratiæ & Gratis.

I.

Cum aliquando vocabulum Gratiæ, dona significet, quæ
ex benevolentia conferuntur Rom. 12. v. 6. Sape & favorem
& misericordiam, videndum prudenter quæ significatio com-
petat illis locis, Gratiæ iustificamur Rom. 3. v. 24. & gratiæ sal-
uamur, Eph. 2. v. 5. & 8.

II.

Pontificij quidem primam duntaxat agnoscunt significa-
tionem:

251
tionem: Sed Paulus Rom. 5. v. 15. 16. & 17. expresse distin-
guit gratiam & donum per gratiam. Huic adimit; illi v. ju-
stificationem tribuit. III.

Et facit multiplex Paulina antithesis gratia & operum
Rom. 4. v. 5. Rom. 3. v. 2. & 11. v. 6. ut ne de infusis habitibus
accipiatur. IV.

Sicut etiam, quod in tempore infunduntur, illam gratiam
qua ante secularia tempora nobis data est, 2. Tim. 1. v. 9. Eph. 1.
v. 4. notare nequeunt. V.

Quod & equipollentia Gratia vocabula ostendunt Tit. 3.
v. 4. 5. benignitas, humanitas 2. Tim. 1. v. 9. secundum propo-
situm & gratiam, &c. VI.

Atque ut illustrior esset exclusiva vocabuli Gratia, Pau-
lus, Rom. 3. v. 24. addit particulam Gratis, quam Ebraei per
חַנּוּן derivata voce à חָנַן misereri. LXXX. reddiderunt per δωρεῶν
VII.

Dupliciter autem hac voce S. Paginae utuntur. 1. Oppo-
nitur solutioni pretij Exod. 21. v. 2. Num. 11. v. 5. 2. Sam.
24. v. 24. 2. Significat sine justa causa, prater aut contra me-
ritum, Gal. 2. v. ult. Ps. 69. v. 5. & 109. v. 3.

VIII.

Paulus igitur gratis gratia Dei nos justificari, adserens,
duo innuit. 1. Nihil in nobis rationem cause obtinere. 2. Sed
potius contrarium ob quod damnationis rei simus, inesse, quod
ipsum non imputatur. 2. Cor. 5.

IX.

Et haec de justificatione contra Baalistas Romanenses dicta
sufficiant.

DEO TRIUNI GLORIA.

☩(?)☩
☩

99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro

VD17







247
13



ATIO XIII.
 STIFICA=
 TRA DECRETA SE-
 nis Tridentinae,
 lectens Cap.6.
 ntro-versa de justificatione.
 justificationis.
 riptura adimat justificationem.
 dientia non justificet hominem.
 Pauli doctrina de justificatione.
 ratia & gratis.



presidio
 IS GESNERI
 D. ET PROFESSO-
 mia Wittebergensi in priva-
 n Theologicarum col-
 proposita ab
 AIBEN REERS-
 rionali Frisio.
 Anno CHRISTI 1602.
 acob & Vit. Beat. c. 6.
 a justus sum, sed quia redem-
 uia vacuus sum peccatis, sed
 peccata.
 BERGAR
 ffgangi Meisneri.

